



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 88. Hispanorum Victoriæ de Pontificio exercitu reportatæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1557.

§. LXXXVIII.

*Hispanorum victoriæ de Pontificio exercitu reportatæ.*

*Thuan. l.c.*  
*Pallav. l. x4.*  
*c. 3. n. 2.*

Confecto hoc fœdere Philippus, cum Florentiæ Ducis amicitiam sibi certam haberet, totus in eo erat, ut Gallis ex Italia pulsis cum Papa in gratiam rediret, necnon de Ferrarensi Duce, qui adversus eum, sibique fœderatos arma capesset, ultionem sumeret: qua propter bello in Ducem moto Albæ Dux Practicam, urbem Friderico Comiti obnoxiam subegit: Julius vero Ursinus, cum Hispanos intra præsidia se contineere cerneret, & ipse cum exercitu suo egreditur, ac Montem-Fortinum capit, victorumque deprædationi relinquit. Prospero hoc successu animatus Piglium rursus aggreditur, irrito licet conatu; eoquod Marcus Antonius Columna opportuno admodum tempore obsessis suppetias misisset. Postea Cæfarei prædæ avidi Prænestem diripiunt, Columna vero Albæ Ducis jussu Palianum contendit, ut agrum illum longe, lateque vastaret, messemque jamjam maturam combureret: qua strage comperta Julius Ursinus & Montis-belli Marchio Pontificiorum Duces inter Ladicum, Palianum, & Segniam consistunt, &, ut expeditiores essent, commeatus partem Romanam remit-



remittunt, ac machinas quoque bellicas Sæcul. XVI.  
Segniam reduci imperant. A.C. 1557.

Verum Columna intellecta hac hostium imprudentia copias suas admonet, initoque certamine utrinque cum ingenti fortitudine, vincendique aviditate pugnatur: Tandem vero Montisbelli Marchio, cum equitatum suum ob loci angustias explicare haud posset, post grave a tormentorum displosione acceptum damnum Segniam versus, quo tormenta jam præmiserat, iter intendit: Julius vero Ursinus accepto gravi vulnere captus est, totusque exercitus ad vicinam sylvam sese recepit.

### §. LXXXIX.

#### *Maximum, & Segnia ab Hispanis capta.*

Cum Columna prosperum armorum Thuan. l. 18.  
successum fortius urgendum cense- n. 6.  
ret, protinus Felsium cum suis copiis,  
ac tribus belli tormentis præmisit, ut Maximi arcem Joannis Ursini imperio subditam expugnaret, quæ etiam mox hostium arbitrio permissa, atque inhumane direpta fuit, inde vero Columna Segniam versus castra promovit, eoquod ad eum locum reliqua Pontificii exercitus nuper profligati pars unacum Marchione Monte-Bello Pontificis Nepote, belli tormentis, ac equitatu recesserit.

Porro